

DLIII. Huc spectant praecipue *Emtio spei, Lotaria. Olla fortunae, Contractus assicuracionis, Bode-meria, decifio per sortem, siue electricem, siue attributricem, siue diuisoriam, Censu vitalitius, et tandem Contractus lusorii, qui tum demum se recte habent, si et lucrandi cupiditatem et nimiam rerum et temporis profusionem fugiamus. Cic. Off. I. 29.*

CAPVT XX.

*De iureiurando, aliisque modis, quibus
pacta confirmantur.*

DLIV. Signa aut sermones, quibus veracitatem et sinceritatem nostram confirmamus, sunt *Adseuerationes, seu Contestationes. Illa autem Contestatio, qua ad vindictam diuinam sub conditione falsiloquii moralis prouocamus, Iurisiurandum* dicitur, et quidem *promissorium*, si quis promissionem a se factam firmer, *secus adsertorium*. Igitur insanus, demens, non iurant, nec qui tamen legens iuramenti formulam, non praefert animum iurandi. *Ouid. Heroid. XXI. v. 135.*

DLV. Finis iuramenti ex parte eius, qui iurat, est, vt verbis conciliet maiorem fidem. Qui enim Deum esse agnoscit ens omniscium, omnipotens, et iustissimum, non praesumitur esse tam malus, vt fidem fallere, ac diuinae misericordiae renuntiare velit. Alter finis est ex parte illius, cui iuratur, vt de veracitate et sinceritate iurantis certior et securior fiat. *Cic. Off. 31.*

DLVI. Quum nihil inconsulto, nihil temere agere liceat, multoque adeo minus alterum fallere religionis obtentu, aut diuino nomine abuti, perspicuum est, cur *iudicium, iustitia et veritas* quasi tres Iurisiurandi comites statuantur, * qui si adsint, iurans Dei manifestat attributa, eiusque adeo gloriam illustrat. Non
igi-

* *Ierem. IV. 2.*

igitur alia in sacris litteris prohibentur iuramenta, quam quae sine vlla necessitate, et ex leui animo praestantur *v. Math. V. 33.*

DLVII. Motiua, quae iurantem impellere debent ad dicendam veritatem, aut pactum seruandum, sunt Dei omniscientia, omnipotentia, et iustitia. Igitur inutile esset iurandum, si vel per id praestaretur, quod pro tali ente iurans non agnoscit, veluti per caput, oculos, salutem principis, auferem, numerum ternarium; aut si is iuret, qui Deum esse negat, vel illum putat res humanas parum curare.

DLVIII. Ex quo consequitur, vt iurandum religioni iurantis adcommodandum sit. Qui enim per falsos Deos iurat, quos veres credit, eos, vt omnisceos, omnipotentes, et iustissimos sibi repraesentat; ergo respectu ipsius perinde est, ac si per verum Deum iurandum praestitisset *Martial. Epigr. XI. 94. et Can. 16. Caus. XXII. q. 1.*

DLIX. Et quia tale iuramentum acceptans aut etiam deferens, causa moralis non est, cur aliter erroneam de Deo opinionem foueat, cessat ratio, ob quam eidem actus superstitionis, et idololatriae imputetur, *Vid Gen. XXXI. v. 53.*

DLX. Qui Caio centum promisit, et eos se datum iuravit, non quidem ad ducentos obligatur, et eatenus (nimirum ratione obiecti) iurandum duplicem obligationem non parit; quia tamen per iuramentum noua accedunt motiua seruandi, quod promissum est, dubitari nequit, quin nouum etiam vinculum respectu iurantis producat; et ideo prior obligatio *vinculum Iustitiae*, posterior *vinculum Religionis* dicitur.

DLXI. Quoniam iurandum nouam obligationem efficit *Religionis* intuitu Dei, non autem *Iustitiae* respectu eius, cui iuratur, quippe quae ex pacto proficiscitur; si deit pactam, tunc in foro externo cogi iurans non poterit, vt praestet, quod iuravit. Sed facere

cere id tenebitur respectu religionis, et in foro interno, si saltem valeat declaratio iurata, veluti si quis sacramentum dicat, se mille inter pauperes distributurum.

DLXII. Si igitur pactum sit nullum, v. c. ex defectu acceptationis, inde non sequitur statim etiam iusiurandum non valere; quamvis enim sola Dei innocatio ex non pacto pactum haud faciat, tamen iusiurandum ratione promissionis valere potest, et hoc sensu in foro interno *omne iusiurandum seruari debet, quod seruari potest sine dispendio animae*, propter Religionis vinculum.

DLXIII. Sed si pactum vel turpe foret, vel physice impossibile, sicuti non obligat pactum ex iustitia, ita non deuincit ex Religione iusiurandum, quod nec esse vinculum iniquitatis, nec irritam promissionem validam efficere potest. Praeterea vero semper Dei gloriam obsecrant illi, qui huiusmodi impio, vel temerario iureiurando sese polluunt.

DLXIV. Atque hoc sensu, quem modo euoluimus, verum est, *iusiurandum sequi naturam actus, cui adicitur*; conditiones enim, quae pacto tacite insunt, ad iusiurandum quoque spectant. Sic si quis gemmas spurias pro genuinis emat, et iuret pretium se soluturum, tacite intelligit, si gemmae sint genuinae, quae ipsa conditio etiam iuramento inest.

DLXV. Quare si non adest in mentis declaratione pactum, adiectio iuramenti obligationem iustitiae quidem non gignit. Sed ad ponendam obligationem Religionis satis est, aliquem liquido, et sine vlla conditione de re possibili iurasse, et saltem promissionem valere, etiamsi irritum esset pactum, ob acceptationis defectum.

DLXVI. Ex hisce intelligitur, cur, etsi pactum metu iniusto extortum sit irritum, tamen violari nequeat iusiuraedum illi adiectum, dummodo promissionem
tam

tam physice, quam moraliter teneri possit. Cf. Wolf. I. N. T. III. §. 958.

DLXVII. Et ideo non obstat, quod aiunt nonnulli, eum, qui iurat, sibi manum amputaturum, non obligari; ergo neque eum, qui iurat se daturum centum; possunt enim centum promitti etiam sine iuramento, non vero manus abscissio. Vid. Cic. Off. III. 31.

DLXVIII. Iusiurandum eius; qui se verum dicere iurat, dum sciens falsum dicit, est *Peieratio*, violatio vero iuramenti rite praestiti *Periurium* dicitur. Est ergo peieratio mendacium iuratum, et periurium perfidia iurata; utraque actio diuinis perfectionibus contraria est, et blasphemiae species. Vid. Cic. Off. III. 29.

DLXIX. Sunt et alii modi firmandi conventiones; veluti *Oppignoratio* et *Fideiussio*. Illa est actus, quo creditori *ius in re* constituitur; ut debito principali non soluto, ex eadem in subsidium ipsi satisfiat.

DLXX. Res ita obligata *Pignus*, ius vero creditori acquisitum *Ius Pignoris* nominatur; pignus, quod traditur creditori, est pignus in specie, quod vero manet penes debitorem, est *hypotheca*.

DLXXI. Ex his pronum est intelligere has conclusiones. I. Ex natura pignoris, non licet creditori uti frui re oppignorata, id tamen potest ei concedi per pactum adiectum, quod dicitur pactum *Antichreseos*. II. Teneretur debitor intra definitum tempus pignus luere, id est, debitum soluere, ob quod pignus constitutum est.

DLXXII. III. Debito non soluto ius habet creditor efficiendi, ut sibi ex re obligata satisfiat, adeoque eam distrahendi, vel tanquam suam sibi habendi; non tamen rei pretium, quod debitum excedit, seu *Hypocham* retinere potest. IV. Pignore casu pereunte debitor ab obligatione principali non liberatur. Cete-

rum datur pignus quoddam naturale in omnibus bonis debitoris.

DLXXIII. Contractus, quo quis promittit se praestitutum, quod alius debet, nisi ipse praestet, est *fidei iussio*. Itaque I. ad sunt tunc duo debitores, principalis et accessorius II. Posterior tantum sub conditione se obligavit, igitur conveniri nequit, nisi excusso principali; hinc habet fideiussor ex fideiussionis natura *beneficium ordinis*. III. Si debitum principale sit irritum, irrita est etiam fideiussio; quae porro statim cessat, quando principalis praestitit, quod debebat.

DLXXIV. Actus, quo quis de re securus redditur, *cautio* vocatur; alia igitur est nude promissoria seu *satisdatio*. Continet autem omnis cautio conditionem obligationis primariae, neque sola, qua talis, subsistere potest. Ceterum haec cauendi necessitas est quoddam humanae perfidiae testimonium.

CAPVT XXII.

De modis quibus obligationes et contractus cessant.

DLXXV. Tollitur obligatio, si, qui alteri obligatus erat ad aliquid dandum vel faciendum, obligatus esse definit, sublatio autem obligationis *liberatio* nominatur.

DLXXVI. Praestare id, quod debetur, est *soluere*. Solutione facta creditoris ius cessat, ergo etiam obligatio debitoris est extincta. Ast solutio non est, nisi *totum, loco, tempore, modoque debito* praestetur; *dari* ergo *in solutum*, seu aliud pro alio solui, nequid creditori invito, nisi praecisa ac vera solutio sit impossibilis, et tamen obligatio ad tantundem praestandum subsistat.

DLXXVII.